

Werk

Titel: Commentationes Societatis Regiae Scientiarum Gotti

Verlag: Dieterich

Jahr: 1828

Kollektion: Wissenschaftsgeschichte

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN35283028X_0006_2NS

PURL: http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN35283028X_0006_2NS

LOG Id: LOG_0037

LOG Titel: Lex Mariotti ex principiis theoreticis deducta

LOG Typ: article

Übergeordnetes Werk

Werk Id: PPN35283028X

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN35283028X>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

LEX MARIOTTI

EX PRINCIPIIS THEORETICIS DEDUCTA

PRAELECTIO PHYSICA

IN CONSESSU SOC. REG. SCIENT. DIE XXVI. JUNII MDCCXXIV
RECITATA

A
JO. TOBIA MAYER.

§. I

Exhibeo Vobis, Auditores, disquisitiones quasdam super le-
gem illam celebrem *Mariotti*, via experimentali primum erutam,
quatenus illam quoque theoretice, ex conceptibus sanioribus phy-
sicorum nostrae aetatis circa causam elasticitatis fluidorum aerifor-
mium, deriuari posse putem.

Notissima sunt experimenta a celeberrimis Naturae scrutato-
ribus *Boyle* et *Mariotte* circa compressionem aëris primum in-
stituta, posteaque ab aliis repetita, quibus edocti sumus, intra
illos saltim limites, intra quos illa experimenta capta sunt, *den-
sitatcm aeris compressi esse in ratione vis comprimentis*, eadem
manente temperatura. Vnde haec propositio in libris physicorun
quoque traditur sub titulo *legis Mariotti*.

§. II

Limites dictos, ob difficultatem et amplitudinem apparatus, ad eiusmodi experimenta necessarii, et ob varias cautelas in mensurandis exacte voluminibus aëris compressi, casu praesertim, quo iam in spatum admodum paruum redactus esset, hactenus vix ultra vim comprimentem octuplam circiter illius, qua aër in statu naturali prope superficiem terrae a pondere atmosphaerae incumbentis compressus est, licuit extendere. Idem valet de limitibus intra quos rarefactio aëris, imminuta vi premente, adhuc satis accurate licuit obseruari.

Intra hos vero limites lex supra dicta, quod scilicet densitas aëris compressi exacte sit proportionalis vi comprimenti, sat accurate sese comprobauit.

§. III.

Sunt quidem aliqui, quibus haec lex adeo intra limites memoratos iam sensibiliter a veritate aberrare sit visa e. gr. *Sulzero* a) in cuius experimentis vi comprimenti septuplae circiter illius, qua aër sub initio compressus erat, iam densitas octupla respondere sit deprehensa, ita vt, crescente pressione, densitas aëris (quod vix probabile videtur) in proportione adeo maiori, quam secundum illam vis comprimentis augeri videatur.

Sed his experimentis alia possunt opponi in quibus nulla eiusmodi aberratio sensibilis sese manifestabatur. Ita *Winklerus* b) legem Mariotti sub pressione octupla adhuc veram esse inuenit.

a) Mem. de l'Acad. de Berlin, ann. 1753.

b) Untersuchungen der Natur und Kunst v. Ioh. Heinr. Winkler, Prof. d. Phys. zu Leipzig. 1765. §. 41. etc.

§. IV.

Vix opus est, ut moneam, in eiusmodi experimentis aërem admodum siccum esse adhibendum.

Nam si aëris quacdam portio vaporibus aqueis mixta est, comprimendo illam, hi vapores decomponuntur, et spatium, quod occupabant, aëri compresso cedunt. Unde non mirum est, si hoc casu aëri compressus minus spatium, quam iuxta regulam Mariotti, occupare, adeoque maiorem densitatem indicare videatur, quam si prorsus siccus fuisse adhibitus.

Idem valet in experimentis circa rarefactionem aëris, quando vi comprimenti, minori quam antea, exponitur.

Dum eiusmodi portio aëris dilatatur, particulae aquosae, quibus semper plus minusue mixta est, in vapores mutantur, qui proprium suum spatium occupant, quo facto aër tunc maius spatium, quam si siccus fuisse, occupare videbitur.

Minime igitur mirabimur, si experimenta eiusmodi a diuersis obseruatoribus instituta, haud inter se congruere sint deprehensa.

Praetereo multas alias cautelas in huiusmodi experimentis obseruandas, cum proxime ad huius praelectionis scopum haud pertineant. Adhibitis vero debitibus cautelis, vix dubito, legem Mariotti extra illos quoque limites compressionis et dilatationis, quam intra quos experimenta adhuc satis accurate licuit instituere, nos fore inuenturos comprobataam.

Atque id simul ex eo mihi videtur colligi posse, quod nisi vbiuis in atmosphaera nostra densitas aëris foret in ratione pressionis columnae aëris incumbentis, sub eadem temperie, refractio-nes astronomicae iuxta hanc hypothesin computatae non tam egregie cum obseruatis congruere possent, quam, exceptis causis turbantibus prope horizontem, reuera cum illis consentiunt.

§. V.

Densitas aëris, aucta vi comprimente, crescit quidem, sed facile patet, casu, quo particulas aëris sub magna pressione ad mutuum earum contactum peruenisse singamus, de ulteriore eius compressione, adeoque et de lege Mariotti non amplius sermonem esse posse.

In isto enim contactu molecularium aëris non amplius habemus fluidum aëreum, sed potius solidum seu saltim liquidum, cuius particulae pressioni vltiori vix adhuc cederent, nouum quasi corpus, cuius densitas per eiusmodi vim mechanicam vix adhuc ulterius augmentum caperet, velut id de omnibus corporibus rigidis ac liquidis nouimus.

Quem valorem haec densitas aëris maxima haberet, nescimus quidem. Forsan illa ad minimum aequeretur densitati aquae, sed ante quam aëris quaedam portio nondum ad hanc densitatem maximam peruenit, semper cogitari potest, illam adhuc ulterius comprimi posse, et quidem iuxta legem Mariotti, hanc vero legem eo momento cessaturam esse, immo ne quidem de ea amplius sermonem esse posse, quam primum aër formam suam aëream seu discretam perdiderit et in nouum quasi corpus transierit.

§. VI.

Nonnulli quidem physici opinati sunt, aëris compressionem iam sequi debere aliam legem, quam illam Mariotti, quam pri-
mum aër maximae suaे densitati duntaxat sese appropinguarit, functionemque adeo inter vim comprimentem et densitatem ita debere esse comparatam, ut in magnis compressionibus densitas in minori proportione crescat, quam vis comprimens. Verum hae aliaeque opiniones nullis nituntur solidis argumentis, et haud raro deductae sunt ex falsis conceptibus, quos circa causam ipsam elasticitatis fluidorum aëriformium sibi formarunt physici.

Ita Eulerus c) sibi fixerat, aërem constare ex vesiculis admodum parvis, in quarum cavitatibus materia quaedam subtilis aetherea sit inclusa, quae magna celeritate vortices seu gyros in illis peragat, unde vis centrifuga nascatur, quae pressioni externae resistens elasticitatem aëris efficiat. Ut vero compressio in minus spatium fieri possit, hanc hypothesisin addit, vt in centro harum vesicularum spatium vacuum detur, quod decrescat, quo maior sit vis comprimens, quae in aërem adeoque eius vesiculas agat.

c) L. Euleri tentamen explicationis phaenomenorum aëris. Comment. Petrop. Tom. II. p. 437. etc.

Haec formula Euleriana sequens est. Sit densitas naturalis aëris prope superficiem terrae $\equiv G$, et densitas maxima, quam aër per compressionem aliquam nancisci posset $\equiv q$. G (vbi q igitur numerum aliquem magnum denotet). Densitas aeris minus compressi sit $\equiv m$. G. His positis Eulerus inuenit, elasticitatem aëris naturalis sub densitate dicta G, esse ad elasticitatem aëris cuius densitas est $m \cdot G$ vt

$$1 : \frac{\sqrt[3]{q^2 - \sqrt[3]{(q-m)^2}}}{\sqrt[3]{q^2 - \sqrt[3]{(q-1)^2}}}$$

vbi tunc illae elasticitates simul repreäsentant vires comprimentes, ita, vt si pressio atmosphaerae, sub qua densitas aëris est $\equiv G$ exprimatur per altitudinem columnae mercurialis $\equiv k$, vis comprimens hunc aërem, ut nanciscatur densitatem $m \cdot G$ foret

$$K = \frac{\sqrt[3]{q^2 - \sqrt[3]{(q-m)^2}}}{\sqrt[3]{q^2 - \sqrt[3]{(q-1)^2}}} \cdot k.$$

Casu quo m est parvum respectu ipsius q , per approximationem facile reperitur

$$K = mk + \frac{m(m-1)}{q} k$$

ergo si numerus m non magnus sit, erit prope

$$K = mk$$

legi Mariottianæ consentaneum.

Ex hisce conceptibus, e Schola Cartesiana desumis, Eulerus formulam quidem deduxit, quae omnino ita est comparata, vt in compressionibus non admodum magnis fere consentiat cum lege Mariotti. Sed in magis compressionibus ab illa multum discrepat.

Ita similiter Alembertius ex conceptibus quibusdam, a natura elateris corporum firmorum, vti videtur, desumis, et in aërem, tanquam fluidum elasticum translatis, formam functionis secundum quam aëris densitas a vi comprimente pendere possit, deriuare annis est. Interim Alembertius ipse constitutur, infinite multas dari posse functiones, quae conditionibus illis generalibus, quae inter vim illam comprimentem et densitatem aëris iuxta naturam elaterum, locum habere possent, satisfaciant, atque ita adhuc valde licet dabitari, an functio illa, cui præ aliis ob formam suam simplicem, palmam tribuit, veram relationem inter densitatem aëris et vim comprimentem exhibeat. Revera quoque haec functio ita est comparata, vt iuxta illam lex, secundum quam densitas aëris a superficie terræ versus loca elevationa decoresceret, nimis aberraret ab illa; qua in mensurandis altitudinibus ope barometri, et in computu refractionum astronomicarum vti solemus d).

Similiter

d) Iuxta formulam Alembertianam relatio inter vim comprimentem = y et densitatem aëris, seu spatiu = u in quod aër compressus est (hoc spatio u existente in ratione inversa illius densitatis) sequentiæquatione exprimitur

$$y = \frac{(a - u)^2}{a^2} + \frac{(a - u)^2}{au}$$

vbi sub littera a quantitas quaedam constans est intelligenda.
d'Alembert traité de l'équilibre et du mouvement des Fluides. a Paris 1744. pag. 64.

Similiter quoque Hypothesis *Dan. Bernoulli* ad legem Mariotti deducendam in vsum vocata, quod scilicet elasticitas aëris in motu quodam continuo et rapidissimo particularum eius iuxta omnes directiones consistat, nostra aetate tam parum placebit physcis, quam theoria illa vorticium Cartesianorum, qua vsus erat *Eulerus*, nisi simul indigitentur vires, quae ad eiusmodi motus producendos necessario requiruntur.

Qui vortices seu gyros materiae cuiusdam subtilis ad haec vel illa naturae phaenomena explicanda in vsum vocant, ad duas saltim vires, velut in quoecunque motu curuilineo, recurrere debent. Sed quaenam sint hae vires et unde nascantur, haud debet esse obscurum, nisi tota explicatio pro fictitia sit habenda. Idem quoque valet e. gr. de vorticibus seu gyris, quibus phaenomena Electromagnetismi explicare tentarunt aliqui physicorum. Possibile immo forsan probabile est, vortices seu gyros quosdam partes suas agere in hisce phaenomenis. Sed hactenus non nisi alterutram illarum virium potui eruere, unde motus ille curuilineus deduci posset.

§. VII.

Quod ad Elasticitatem aëris similiumpque fluidorum aëriforium spectat, nostris temporibus saltim causam eius proximam nouimus, scilicet quod haec elasticitas non nisi vi expansiuae caloris, cum particulis ponderabilibus eiusmodi fluidorum coniuncti, sit adscribenda.

Reuera quoque hunc calorem ex ipsis fluidis rursus expelli, seu, vt dicitur, in statum liberum redire obseruamus, quam primum illa formam suam elasticam vel nimia quadam compressione perdunt, vel quoque his vel illis processibus chemicis, vt dici solet, decomponuntur, ita vt particulae eorum ponderabiles, quae antea per vim caloris certis quibusdam interuallis a se inuicem distare cogeabantur, adeo que fluidum

discretum, vt dici solet, constituebant, iam ad ipsum contactum mulnum peruenire, seu quoque aliis corporibus sese iungere possint.

Ita cognitum est, comprimendo vapores elasticos aquae, calorem, qui antea in illis latebat, a vinculis suis liberari, vaporesque ipsos in aquam liquidam mutari.

Similiter aeris atmosphaerici quaedam portio in ignario pneumatico subito compressa, tantam quantitatem caloris emittit, vt in illo somitem, lanam, et complura alia corpora ignem capere videamus. Verum vt aer per eiusmodi compressionem forma sua elastica prorsus destitui possit, vis comprimens seu mechanica admodum magna esset adhibenda. Quaedam fluida aeriformia minorem vim comprimentem requirunt, quemadmodum patet ex experimentis cl. *Biot*, quibus iam per solam compressionem mixtum aliquod, ex Gas hydrogenio et oxygenio factum, decomposuit et in aquam vertit, similiterque et gas ammoniacale aliaque in formam liquidam transiisse scimus, ita, vt fluida aeriformia non nisi pro vaporibus modo magis permanentibus seu vi cuidam comprimenti resistentibus, sint habenda, omnia vero sine dubio per compressionem satis validam formam sua elastica priuarentur.

Multo facilius hoc fit, si vires chemicae agunt, quibus particulae ponderabiles eiusmodi fluidorum aliis corporibus sese iungere coguntur, quo casu semper calorem sese manifestare videntur, velut in oxydationibus phosphori, sulphuris, aliorumque corporum, in quibus pars ponderabilis gas oxygenii, in aere atmosphaericо contenti, illis corporibus chemice sese iungit, adeoque hoc gas ipsum decomponitur, quo casu calor eius specificus, qui antea erat in statu latenti, subito erumpit, sensus nostros afficit, et in thermometra vim suam expansiuam exserit.

§. VIII.

Interim fluida elastica seu aeriformia formam suam expansivam quoque perdere possunt, si ipso suo calore latenti, seu per refrigerationem seu quoque per actiones chemicas priuantur.

Sicut enim e. gr. vapores aquosae rursus in formam liquidam revertunt, si debito gradui frigoris exponuntur, quo casu calor in hisce vaporibus latens, et vi sua expansia non prorsus destitutus, in medium ambiens frigidius transit, ita admodum probabile est, omnia quoque fluida aeriformia decompositionem fore perpressura, si medio cuidam absolute frigido h. e. ab omni calore libero destituto, exponi possent.

Sed nouimus, omnes adhucusque cognitos gradus frigoris artificialis longe adhuc distare a puncto initiali absoluto scalae thermometricae verae, h. c. illo, qui omni absentiae caloris responderet, a puncto illo infimo vt dicitur Caloris, de quo scimus, illud ad minimum cadere in gradum 215^{mum} subter punctum congelationis in scala Reaumuriana.

Praeter hanc vero decompositionem fluidorum aërisformium per refrigerationem, fieri potest, vt et forma sua elastica priuarentur, adeoque decomponerentur, casu, quo forsan calor in illis latens, per actionem chemicam seu attractionem in alia corpora transire possit, ita vt particulas ponderabiles horum fluidorum deserere cogatur, velut id in initio Cap. XI. Compendii mei physics iam monui.

Eiusmodi decompositionem iam diu in vaporibus Naphtae et Spiritus Vini rectificatissimi obseruavit Ill. *Davy*, cum ipsis filum tenue ex Platina confectum (antea quidem paululum calefactum) obtulisset. Hoc filum viuide in illis incipit candescere, et dum hoc fit, vapores ipsi decomponuntur, haud vero ita, vt particulae eorum ponderabiles chemice se cum illo filo confundant, sed potius, vt hoc filum illis vaporibus ipsis partem suam imponderabilem, caloricum scilicet, rapere videatur, per quam deinceps incandescere incipit, et tam diu candet, quam illis vaporibus expositum est.

Interim quoque nobis cogitare possumus, quod in hoc phænomeno accidat, quod multis aliis casibus fieri videmus, si duo quae-

dam corpora sibi miscentur, seu vt eunque in mutuum aliquem conflictum seu contactum veniunt, nimirum vt Summa eorum Capacitatum pro Calorico, in hoc conflictu minor euadat, quam ante hunc conflictum, adeoque pars quaedam Caloris, quae antea latebat, libertatem nanciscatur. Per eiusmodi igitur Calorem in silum transiens candescens cins effici potest, dum vapores ipsi, quantitate quadam caloris sui specifici hoc modo orbati, et partim decompositi (vnde foetor ille quem spargunt) in medium ambiens euolant. Non necesse est, vt corpora in eiusmodi conflictum posita, reuera sibi inuicem chemice iungant, vt calor sensibilis nascatur, sicut neminem fore existimo, qui casu, quo mixtionem aliquam aquae cum acido sulphurico calesieri videmus, has binas substantias chemice sibi inuicem iunxisse putaret, velut contra id accidit quando e. gr. oxygenium aëris sese cum phosphoro iungit. Mixtio enim illa non nisi mechanica est; particulae aquae et acidi sese quidem attrahunt, sed haec attractio non tam valida est, vt in hac mixtione acidum sulphuris caractere suo aciditatis quasi orbetur. Verum per hanc illarum mutuam attractionem Capacitas mixti pro calore, minor euadit summa capacitatum aquae et acidi sulphuris pro calore, antequam miscebantur. Hinc origo caloris illius sensibilis, qui sese in mixto manifestat, atque ita similiter, quando filum platinae vaporibus dictis exponitur.

Simile quid nuper obseruauit *Cl. Döbereiner*, cum puluerem quendam admodum subtilem ex Platina confectum, nulla praecedente calefactione, torrenti cuidam satis viuido Gas hydrogenii sub accessu aëris atmosphaericci exposuisset. In hoc conflictu puluis ille sponte incipiebat excandescere et particulae ponderabiles gas hydrogenii cum oxygenio aëris atmosphaericci in aquam convertebantur.

Vix mihi necessarium videtur, ad aliam huius phaenomeni explanationem configere, quam ad illam simplicissimam modo expositam. Nam reuera Platinae puluis neque cum hydrogenio neque cum oxyge-

nio gas illorum connubium chemicum facit, vt, sicut in combustionibus ordinariis, calor cum hisce materiis in statu corum aeriformi coniunctus, liber euadat, atque sic pulueris illius candesceniam efficiat (Prorsus sicut in Galuanismo per solum contactum duorum metallorum absque omni processu mutuo quodam chemicō quo particulae quae-dam horum metallorum sibi inuicem reuera iungerent, fluidum electricum e statu latenti erumpere videmus). Nil aliud fieri vide-tur, nisi vt ille puluis in conflictu seu contactu suo cum illis flu-diis aëreis eodem modo calefiat, quam supra id filum platinæ. Sal-tim candescenlia huius pulueris in initio conflictus dicti hoc modo videtur effici. Si vero ille puluis semel incanduit, per illum quo-que vicissim temperatura gas hydrogenii porro aduehentis ita potest eleuari, vt dein hoc gas more quoque solito cum gas oxygenio at-mospaerico comburere, et aquam gignere possit, quo casu tunc calor, illorum latens, libertatem nactus, tam puluerem illum ulte-rius candefacit, quam quoque in medium ambiens euolat. Si illud metallum in particulas admodum exiguae est diuisum, eo facilius quoque in eum gradum excandescere potest, vt dein illa decom-positio gas dictorum more quoque sueto consequi possit.

§. IX.

Hac aliaque multa phaenomena satis peruulgatae haud dubie simplicissimam illam explicationem admittunt, si calorem ipsum no-bis fingamus tanquam aliiquid materiale, quod vario modo ab aliis materiis attractionem patiatur, atque sic modo in statu libero, mo-do in latenti existat, legibusque adfinitatis certo quodam respectu obediatur.

Vix enim illa phaenomena compluraque alia comprehendimus, si calorem aliiquid immateriale, seu quoque duntaxat motum ali- quem peculiarem in particulis corporum esse statuamus, qui motus ceterum, quomodo in perpetuo harum particularum ad se inuicem attritu, ita se conseruare possit, ut corpora nos ambientia nun-

quam ad eum gradum frigoris absoluti, de quo supra (§. VIII.) dixi, adeoque iuxta hanc theoriam nunquam ad eam quietem perfectam in particulis eorundem, qua eiusmodi frigus absolutum consisteret, peruenire possint, vix licet perspici, ni ad alias rursus fictiones auxiliares lubeat configere.

§. X.

Ad legem igitur compressionis fluidorum aërisformium Mariottianam penitus considerandam, mihi quoque licet, hanc materialitatem caloris in subsidium vocare, et ex proprietatibus huius materiae, ab omnibus fere physicis nostrae aetatis ipsi attributis, ostendere, illam legem extra illos quoque terminos, quam intra quos hactenus experimenta institui licuit, valitaram esse h. e. quam diu eiusmodi fluida per adhibitam compressionem forma sua aërisformi seu expansiua non destitui ponamus.

§. XI.

Primum igitur accedo sententiae illorum, qui materialitati caloris favent, hanc materiam caloris, seu caloricum, ut plerumque vocari solet, pro fluido quodam subtilissimo esse habendum, ita ut particulas huius calorici fere ut puncta mathematica considerasse lubeat, velut simile quid de lumine statui solet, quando illud iuxta systema emanationis consideramus. Fuerunt physici, qui calorem ipsum non nisi pro modificatione quadam luminis habuerint.

Quaenam foret densitas huius calorici in statu eius prorsus libro, forsan in spatio mundano uniuersali, nequimus definire. Sed absque dubio in spatio quodam, ubi nullis viribus attractiuis ad alia corpora sollicitaretur, admodum exiguae densitatis nobis illud cogitare debemus.

Verum hoc subtile fluidum ob adsinitatem seu attractionem eius ad alias materias, vario modo sese cum hisce coniungere potest, ita, ut in illis corporibus a quibus fortius attrahitur, et in quibus maior datur copia interstitiorum, quae ipsi accessum conce-

dunt, in maiori quantitate et densitate coarceretur, quam in aliis, ad quae minorem quasi adfinitatem habet.

Ita iam diu inter physicos haec varia capacitas corporum pro recipiendo calorico inter res facti est relata, atque notissima sunt illa experimenta *Crawfordii* aliorumque, quibus adeo determinant, in quanam proportione haec vel illa corpora, vel sub eodem volumine vel sub eadem massa, maiorem vel minorem quantitatem calorici contineant, quod caloricum cum eiusmodi corporibus per attractionem (seu si velimus adfinitatem) coniunctum, calorem quoque relativum, specificum seu latentem appellare solent.

§. XII.

In hoc statu latenti caloricum semper adhuc aliquam vim in maius spatum sese expandendi, et rursus ad densitatem suam naturalem perueniendi exserit, ita vt per illam attractionem versus particulas corporum, duntaxat vis eius expansiua seu tensio vt dicitur, modificata esse videatur, quae tensio aequilibrium tenere debet cum calorico medi ambientis; nisi corpus aliquod reuera rursus aliqua parte calorici sui specifici seu latentis priuatum iri velimur.

Ita e. gr. scimus, aquam parte aliqua caloris sui specifici iterum orbari, et in corpus solidum seu glaciem abire, quando aëri satis frigido exponitur, h. e. aëri in quo tensio calorici non amplius aequilibrium tenet calori illi specifico aquae. In corporibus fluidis, in quibus caloricum maiori vi attractionis retinetur, maius duntaxat requiritur frigus externum, seu diminutio maior tensionis in calorico medi ambientis, vt in corpora solida transeant.

§. XIII.

An caloricum in corporibus per attractionem ita possit figi, vt vi sua expansiua prorsus destitueretur, quo casu et in medio absolute frigido cum hisce corporibus coniunctum maneret, haud li-

cet determinari. Calorem eiusmodi proprio sensu fixum appellare liceret. Considerare eum tunc possemus tanquam partem constitutuam ipsam eiusmodi corporum.

§. XIV.

Porro iuxta experimenta Cl. *Pictet* aliorumque nullum sere dubium est, Caloricum, dum e corpore quodam emanat, sicut lumen sese mouere iuxta lineas rectas, h. e. pro fluido quodam radiante esse habendum, licet, sicut in lumine, causa proxima huius radiationis nobis prorsus sit incognita. Illa tanquam res facti est consideranda. Si de caloris vi expansiua loquimur, cui forte haec radiatio adscribenda esset, phaenomenon ipsum non multo clarius fit, nisi modum agendi vis dictae simul desiniamus.

§. XV.

Iuxta haec principia igitur quodus punctum in superficie corporis cuiusdam nobis repraesentare possumus tanquam punctum radians Caloricum, velut in superficie corporis lucidi nobis puncta innumerabilia lucem radiantia cogitare solemus.

Ob subtilitatem materiae radiantis hosce radios sub imagine linearum rectarum nobis concipere licet.

Si non nisi unicum eiusmodi punctum radians consideremus, ab omnibus aliis quasi isolatum, caloricum hoc punctum ambiens, et per attractionem, quae similiter iuxta lineas rectas agit, ad illud allicitum, per innumerabiles rectas, ex hoc punto quasi ex centro sphaerae exeuntes, repraesentare licet. Omne scilicet caloricum propter eius nisum seu vim radiandi h. e. iuxta dictas lineas rectas emanandi, hanc dispositionem iuxta eiusmodi lineas retinere debet, etsi et per attractionem versus illud punctum urgeatur, reueraque protinus iuxta eiusmodi rectas in medium ambiens euolaret, si per vim expansiuanam seu tensionem caloris in hoc medio distributi, id fieri posse statuamus.

Hisce

§. XVI.

Hisce iam positis claram habemus ideam, sub qua forma nobis particulam quandam aëris, seu similis fluidi aërisiformis, representare debemus.

Consideramus scilicet eiusmodi particulam tanquam punctum aliquod materiale, calorico ita circumdata, vt particulae infinite paruae fluidi huius subtilissimi circa illud punctum aëreum iuxta lineas rectas ab hoc punto exeentes quasi sint dispositae, et duntaxat propter attractionem rectilinearem versus illud punctum, et propter tensionem calorici in medio ambiente in hoc statu radiationis, vt ita dicam, quietae, detinentur, protinus autem maiori vel minori celeritate iuxta has ipsas rectas, emanarent, quam primum illam attractionem et impedimenta a tensione caloris medii ambientis pendentia, sublata esse cogitemus.

§. XVII.

Cogitare igitur nobis possumus totam sphaeram calorici, quae eiusmodi particulam aëris ponderabilem sub forma radiationis dictae et per causas memoratas duntaxat limitatae, circumdaret, habebimusque simul ideam calorici specifici seu latentis, quo eiusmodi particula aëris, seorsim quasi cogitata, foret praedita.

Fluidum illud subtilissimum, quale est caloricum, quod praeter vim suam expansiuan simal et nisum radiandi habet, reuera circa aliquod punctum materiale non prius in statu quietis et aequilibrii existere potest (atque in hoc statu nobis cogitare debemus calorem specificum eiusmodi puncti) quam casu, quo hoc caloricum ipsum iuxta lineas rectas in directione huius radiationis seu vis illius per quam efficitur, circa hoc punctum coaceruatum et dispositum sit.

Huic calorico specifico ipsa elasticitas seu vis expansiua est adscribenda, qua nunc eiusmodi particulam aëris praeditam esse dicimus.

Ubius scilicet intra hanc sphæram dictam caloricum ipsum
enim vi sese opponit, quae formam, secundum quam intra hanc
sphæram iuxta lineas rectas distributum est, mutare vellet, h. e.
in qualibet distantia ab illa particula aëris, caloricum vim expansi-
nam seu tensionem exerit, quae a densitate eius in illa distantia et
a vi attractionis, qua ibi ad illam particulam aëris urgetur, pendebit.

Omne caloricum prorsus liberum, quod illi specifico seu latenti
forsan adhuc interpositum esset posset, ad hanc tensionem calorici spe-
cifici nil confert, et duntaxat in considerationem venit, quando tota
quaedam portio aëris spatio quodam inclusa est, ubi tunc hanc por-
tionem sicut omnia corpora in maius spatium extendere nititur.

§. XVIII.

Iuxta haec principia operam dedi hanc tensionem calorici cir-
ca particulam quandam aëris ponderabilem distributi, intra totam
eius sphæram actiuitatis h. e. in qualibet eius distantia a dicta
aëris particula determinandi, atque inueni, hanc tensionem Calorici
esse in ratione simplici inuersa illius distantiae, ex qua proposicio-
ne dein lex ipsa *Mariotti* sponte deducitur, vti in sequenti pro-
blemate vterius patebit.

§. XIX.

P r o b l e m a.

Sit M (Fig. 1.) particula quaedam ponderabilis aëris nostri
atmosphaerici (seu similis fluidi elasticí) seorsim considerata vt su-
pra (XVI.), et circumdata calore suo specifico.

a b c d repreäsentet superficiem sphærae ex Centro ipsius M
descriptae, intra quam totum illud caloricum contineatur, et iuxta
radios huius sphærae distributum sit (§. XVI etc.). In distantia
M α cogitemus aliam superficiem sphæricam $\alpha\beta\gamma\delta$ priori paralle-
lam, quaeritur tensio caloris in hac superficie.

Solutio. 4. Si omne caloricum circa particulam M in statu perfectae quietis et aequilibrii esse ponitur, vis expansiva seu tensio eius in superficie $\alpha\beta\gamma\delta$ pressioni calorici ambientis intra superficies $\alpha\beta\gamma\delta$ et ab ead comprehensi, et per attractionem eius versus M, ad hoc punctum quasi gravitantis, aequilibrium tenere debet.

2. Sit haec pressio $= p$, et vis illa expansiva seu tensio calorici in hac superficie $\alpha\beta\gamma\delta = t$, haebimusque primum $t = p$.

3. Eadem vi $t = p$ haec superficies reactionem elasticam quoque contra quancunque aliam vim comprimentem exsereret, quam loco illius pressionis p cogitare lubeat, seu potius, dum caloricum intra hanc superficiem $\alpha\beta\gamma\delta$ contentum sese expandere ntitur, vi illi comprimenti sese opponit, et si haec vis seu quoque illa pressio p demta cogitetur, reuera sese expandereret. (XII).

4. Si vis illa maior esset illa t sive p, pars quaedam calorici ex sphaera $\alpha\beta\gamma\delta$ expelli deberet, usque dum vi illi comprimenti e. gr. in superficie sphaerae minori quodam radio descriptae, tensio calorici sese opponat, cum qua illa vis rursus aequilibrium teneret.

5. Ita ad tensionem calorici in superficie $\alpha\beta\gamma\delta$ eruendam, necesse est, vt illam pressionem p inuestigemus, cum qua aequilibrium teneret.

6. Cognita hac pressione p, pars quaedam aliquota superficiei $\alpha\beta\gamma\delta$ e. gr. pars $\frac{1}{m}$ eius, pressionem $\frac{1}{m} p$ sustinebit, et similiter reaget vi $\frac{1}{m} t$, ita vt vbiuis in illa superficie pressio et reactio elastica sibi inuicem aequentur.

7. In quanam igitur ratione illa pressio p penderet a distantia $M\alpha$, in eadem ratione quoque tensio calorici vbiuis in superficie dicta ab illa distantia $M\alpha$ pendere est censenda.

8. Ad illam pressionem p eruendam sit $\alpha'\beta'\gamma'\delta'$ superficies

sphaerica priori $\alpha\beta\gamma\delta$ parallela et infinite parum ab illa distans, ita, vt ponendo distantiam $M\alpha = x$, spatiolum $\alpha\alpha'$ sit $= dx$.

9. Decrescente ita valore x suo differentiali dx , crescat pressio calorici super superficiem $\alpha\beta\gamma\delta$ siue valor ipsius p differentiali suo dp h. e. pressio in superficiem $\alpha'\beta'\gamma'\delta'$ foret $= p + dp$.

10.⁴ Clarum est hocce dp aequivalitatum esse ponderi quasi calorici, quod inter dictas superficies infinite sibi propinguas comprehensum esset, et quod caloricum, vti diximus, attractionem seu grauitationem versus M perpetitur, sine qua nulla eiusmodi accumulatio calorici circa punctum aliquod materiale M , quam calorem eius specificum appellauimus, dari posset.

11. Sit superficies $\alpha\beta\gamma\delta = s$, eritque volumen inter illas superficies (8. 10) contentum $= s dx$.

12. Quodsi igitur densitatem calorici circa M accumulati in distantia $M\alpha = x$ a centro ipsius M , h. e. densitatem calorici in superficie $\alpha\beta\gamma\delta$ vocemus $= \vartheta$, erit massa seu quantitas calorici in spatiolo seu volumine $s dx$ contenta $= \vartheta s dx$, ponendo densitatem calorici in distantia quadam pro vnitate assumta $= 1$.

13. Cum quaevis attractio seu grauitas quae iuxta lineas rectas agit, decorescat in ratione inuersa quadrati distantiae, illa quantitas Calorici $\vartheta s dx$ versus M grauitabit seu pondus habebit $= \frac{\alpha \vartheta s dx}{x^2}$, ponendo attractionem seu grauitationem in distantia supra (12) pro vnitate assumta $= \alpha$.

14. Erit igitur, cum p crescat decrescente x , vt facile patet (9. 10)

$$dp = - \frac{\alpha \vartheta s dx}{x^2}$$

15. iam uero est superficies sphaerica s in ratione quadrati semidiametri eius x h. e. in ratione ipsius x^2 , seu ponendo superficiem sphaericam in distantia pro vnitate assumta (12) $= S$ erit $s = S \cdot x^2$.

16. Porro sit densitas Calorici in illa distantia pro unitate assumta $= D$; eritque, cum densitas calorici circa punctum M ob (XVI) decrescere debeat in ratione inuersa quadrati distantiae x (prosers ut densitas luminis e punto quodam iuxta lineas rectas emanantis)

$$\vartheta = \frac{D}{x^2}$$

17. Substituendo igitur hosc valores (15. 16) in aequationem (14) nanciscimur simpliciter

$$d p = - \frac{\alpha S \cdot D}{x^2} dx$$

adeoque integrando

$$p = \frac{\alpha S \cdot D}{x} + \text{Const.}$$

18. Cum in distantia admodum magna a Centro particulae M sine dubio nullum caloricum sit, quod versus M adhuc sensibiliter grauitet, casu quo distantia x esset admodum magna, si velimus infinita, debet esse $p = 0$. Vnde valor constantis C erit quoque $= 0$, adeoque duntaxat

$$p = \frac{\alpha \cdot S \cdot D}{x}$$

h. e. pressio calorici in superficiem $\alpha \beta \gamma \delta$ (5) erit in ratione inversa distantiae x .

19. Adeoque et tensio calorici in distantia $M \alpha = x$ a Centro particulae M erit in ratione inuersa ipsius x . (6. 7)

20. Si igitur haec tensio in distantia pro unitate assumta (12) esset $= T$, erit tensio in distantia x , seu

$$t = \frac{T}{x}$$

vbi igitur T est quantitas constans pro particulis vnius eiusdemque fluidi aeriformis, pro quibus omnibus et quantitates α , S , D haud dubie eadem sunt.

§. XX.

C o r o l l a r i u m.

1. Sint iam in (Fig. 2) M, N duae eiusmodi particulae aëris, quae per pressionem aliquam externam usque ad distantiam mutuam MN = 2x sibi appropinquare sint coactae.

2. Hoc casu pars illa calorici, quo ultra distantias aequales $M\alpha = N\alpha = x = \frac{1}{2} MN$ circumdatae erant, per illam pressionem euassisce est cogitanda, ita ut quaenam particula non nisi id caloricum retinuerit, quam quo per attractionem suam usque ad hanc distantiam $M\alpha = N\alpha = x$ iam antea quasi erat saturata, dum omne caloricum, quod hunc statum saturationis excederet, illi pressioni obediens et aufugere debeat. In quoquis igitur puncto distantiae $M\alpha$ seu $N\alpha$ caloricum eam habebit tensionem, quam ibi habebat, antequam illa pressio accedebat.

3. Ceteroquin in medio ipsius MN h. e. in puncto α (vbi caloricum inter binas particulas M, N aequalem habet tensionem, et vbi haec tensiones coniunctim quoque sese vi comprimenti opponunt) eam nobis cogitare debemus reactionem elasticam caloris, per quam vi illi comprimenti aequilibrium, tenetur. Nam si in α tensio caloris minor esset vi comprimente, per hanc vim illae particulae M, N adhuc magis sibi appropinquare cogerentur; et si maior esset, rursus a se inuicem recederent, seu potius nequidem usque ad illam distantiam MN sese appropinquare potuissent. Quare etiam tensionem caloris in α cum vi quadam repulsiva comparare licet, quae vi illi comprimenti sese opponeret, et per quam haec particulae M, N a se mutuo recedere nituntur.

4. Dum igitur haec particulae per vim illam prementem quasi sint in statu coacto, ita ut per elasticitatem seu tensionem calorici in distantiis $M\alpha = N\alpha$ illi vi resistant, et aequilibrium teneant, facile patet, vim prementem eo maiorem requiri, quo magis illae particulae M, N sibi inuicem appropinquare debeat, cum tensio

caloris apud α in medio distantiae MN, illi vi sese opponens, inventa sit esse in ratione inuersa distantiae $M\alpha = N\alpha = x$.

Ex hisce iam deducitur

L e x M a r i o t t i.

§. XXI.

1. Sit scilicet e. gr. iam vas aliquod prismaticum ABEF (Fig. 3) aëre repletum, qui per vim $= P$, in embolum CD agentem (cui vi et pressio Atmosphaerae est adnumeranda) in spatium ABCD sit compressus, atque nullum est dubium, intra hoc spatium ABCD densitatem aëris esse uniformem h. e. particulas aëris vbiuis in iisdem a se inuicem distantis esse dispositas, quemadmodum id per punctula in hoc spatio designata circiter indigtauimus.

2. Sint iam γ , β in recta mn ipsi CD perpendiculari duae quaedam eiusmodi particulae aëris, de quibus igitur id valebit quod supra (XX) de particulis M et N demonstrauimus, nimirum tensionem caloris inter illas, vi comprimenti sese opponentem, et cum illa aequilibrante, esse in ratione inuersa dimidiae distantiae $\gamma\beta$, adeoque et in ratione huius distantiae $\gamma\beta$ ipsius.

3. Eadem tensio in duas quascunque alias particulas aëris valebit-

4. Quodsi igitur inter tota illa altitudine mn distantia illa $\gamma\beta = 2x$ contenta sit in vicibus, ita vt illa altitudo mn $= H$ sit $= m \cdot 2x$, habebimus $x = \frac{H}{2m}$, eritque tensio caloris inter quascunque binas particulas aëris $= \frac{T}{x} = \frac{2mT}{H}$. (§. XIX. 19. 20).

5. Adeoque illae parti totius vis comprimentis P, quae in particulas aëris in recta mn dispositas agit, aequilibrium tenetur per tensionem caloris $= \frac{2mT}{H}$, quae vbiuis inter duas eiusmodi particulas eadem est.

6. Quodsi igitur per totum spatium prismaticum **ABCD** dentur μ eiusmodi series particularum, vti $m n$ vnam repreäsentat, totae vi comprimenti **P** aequilibrium tenetur per tensionem $\frac{2 m \mu T}{H}$,
h. e. habebimus

$$P = \frac{2 m \mu T}{H}$$

7. Facile patet, si distantia $\gamma\beta$ in tota altitudine $m n$ siue H comprehensa sit in vicibus, hunc numerum in simul indicare, quot particulae aëris in recta $m n$ sint contentae, si vnicam particulam apud **CD** vel **AB** haud in computum ducamus, quod absque errore sensibili fieri potest.

8. Productum $m \mu$ in formula (6) exprimet igitur summam omnium particularum aëris in spatio prismatico **ABCD** comprehensarum, adeoque totam massam ponderabilem aëris hoc spatium replentis.

9. Haec massa aërea est in ratione ponderis eiusdem, quod vocemus $= Q$; Eritque igitur $m \cdot \mu$ in ratione ipsius Q

10. Ponere igitur possumus

$$P = \frac{2 Q \cdot T}{H}$$

11. Si iam alia vis $= \mathfrak{P}$ in embolum **CD** agens hanc massam aëris $= Q$ comprimat in spatium cuius altitudo esset $= \mathfrak{h}$, habebimus similiter

$$\mathfrak{P} = \frac{2 Q \cdot T}{\mathfrak{h}}$$

(Si scilicet sub compressione \mathfrak{P} in altitudine \mathfrak{h} iam contentae essent m' particulae aëris, ob massam aëris $= Q$, necessario tot series eiusmodi particularum in Volumine aëreo altitudinis \mathfrak{h} iam contentae esse debent, quot vnitates contineret quotiens $\mu' = \frac{Q}{m'}$ vnde rursus $Q = m' \mu'$, vti supra $Q = m \mu$).

12. *Valor ipsius T pro particulis vnius eiusdemque fluidi aërisiformis, vt supra (§. XIX. 20) monui, constans est.*

13. *Habemus igitur*

$$P : p = \frac{Q}{H} : \frac{Q}{\mathfrak{H}}$$

14. *Si in (9) massa aëris = Q volumen prismaticum super basi AB occupat cuius altitudo est = H, in (11) vero eadem massa aëris = Q super eadem basi AB, volumen prismaticum altitudinis = H implet, haec altitudines H, H sunt in ratione ipsorum dictorum voluminum, quae per litteras V et V̄ designemus.*

Habemus igitur

$$P : p = \frac{Q}{V} : \frac{Q}{V̄}$$

15. *Verum pondus aëris = Q diuisum per volumen V quod occupat, densitatem seu grauitatem specificam eius designat.*

$$\text{Quotiens } \frac{Q}{V} \text{ igitur exprimit densitatem aëris per vim } P$$

in volumen V compressi, similiterque $\frac{Q}{V̄}$ *densitatem huius massae aëreae si per vim p in volumen V̄ est compressa. Si igitur hasce densitates vocemus D et D̄, nanciscimur legem Mariotti nimirum*

$$P : p = D : D̄$$

quae igitur pro quacunque pressione sub qua aëris particulae ponderabiles nondum ad ipsum mutuum contactum perueniunt (§. X.) vera esse debet.

§. XXII.

In omnibus hisce conclusionibus unam eandemque temperaturam voluminibus aëris V, V̄ inesse, tacite supposuimus. Hae temperaturae non pendent a Calorico illo specifico, seu latenti, quem tanquam causam proximam elasticitatis aëris contemplati sumus.

Cum vero aér, praeter hunc calorem specificum et insignem quantitatatem caloris liberi recipere possit, per cuius actionem particulae illius specifici magis a se inuicem remoueri videntur, necesse est, vt aëris quaedam portio per calorem liberum, velut omnia corpora, in maius spatium extendatur, adeoque et maior vis comprimens requiratur, vt in eodem spatio contineatur. Quare tunc aëri quoque maiorem elasticitatem specificam adscribere solemus, si temperaturae altiori, h. e. actioni caloris liberi magis intensi, expositus

est. Lex igitur Mariotti non nisi sub aequali temperie aëris compressi valere potest.

Si temperaturae aëris, in Voluminibus V , \mathfrak{V} contenti ponantur esse t et τ iuxta thermometrum Reaumurianum, vires P , \mathfrak{P} non amplius a densitatibus D , \mathfrak{D} , sed quoque a functione quadam ipsarum t et τ pendebunt h. e. habebimus tunc

$$P : \mathfrak{P} = D \cdot \varphi_t : \mathfrak{D} \cdot \varphi_\tau$$

adeoque duntaxat pro $\varphi_t = \varphi_\tau$ seu pro $t = \tau$ esset

$$P : \mathfrak{P} = D : \mathfrak{D}$$

Quaenam sit forma functionis φ_t seu φ_τ , in primis casu, quo aër Calori admodum intenso sit expositus, peculiarem disquisitionem postularet.




Interim experimenta docuerunt, pro vna eademque densitate h. e. ponendo $D = \mathfrak{D}$, pressiones P et \mathfrak{P} (quas per columnas mercuriales seu eorum pondera plerumque mensurare solemus) esse proxime in ratione $1 + At : 1 + A\tau$, ita vt $1 + At$ et $1 + A\tau$ sint illae functiones, casu, quo illae temperaturae certos limites non exceedunt.

Fieri igitur potest, vt extra hos limites functio φ_t forsan $= 1 + At + Bt^2 \dots$ ponenda esset. Sed in temperiebus, non admodum ab illa aquae congelascenis distantibus, admodum prope est $\varphi_t = 1 + At$, quemadmodum in libello meo (Ueber das Ausmessen der Wärme. Frankf. u. Leipzig 1786) iam ante quadraginta annos ostendi, ubi simul via experimentali pro valore coefficientis A fractionem $\frac{1}{213}$ reperi, si temperaturae t , τ iuxta thermometrum mercuriale Reaumurianum sumitae intelligantur, cum qua determinatione etiam experimenta recentiora exacte conueniunt.

Erit igitur

$$P : \mathfrak{P} = D(1 + At) : \mathfrak{D}(1 + A\tau)$$

Ostendi simul in illo libro per argumenta theoretica hanc functionem $\varphi_t = 1 + A \cdot t = 1 + \frac{t}{213}$ non modo pro aëre atmosphaericō, sed quoque pro omnibus fluidis aëriformibus intra dictos limites valitram esse, quod similiter patet ex experimentis recentioribus. In argumentis scilicet, quibus id pro aëre nostro atmosphaericō ostenderam, vbius duntaxat nomen alias cuiusdam fluidi aëriformis ponendum esset, sicut in hydrostatica, vbi de legibus aequilibrii fluidorum generaliter loquimur, plerumque duntaxat aquae nomine vt solemus, dum, quae pro hoc fluido liquido demonstrantur, similiter et aliis liquidis conuenire censemus.



*Io. Tob. Mayer
super legem Mariotti.*

Com. Tom. VI.

